



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
Iesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

XXII. Probatur ide[m] ex differe[n]tia Sacram. & sacrificij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

Abel, Noë, Melchisedech, Job, & aliorum: ergo etiam si Christus abrogare voluisset omnia instituta legis Mosaicæ, non tamen sacrificia omnino abrogare debuisset.

CAPVT XXII.

Probatum idem ex differentia Sacramenti, & sacrificij.

TERTIA ratio ex differentia, quæ est inter Sacramentum & sacrificium, sumi potest. Nam commune est omnibus Sacramētis, ut ab alio dentur, ab alio accipiantur; neq; vllus sibi ipse Sacramentum administret. Ita videmus in Baptismo, aliisq; Sacramētis accidere; nemo enim se ipse baptizare sinitur, etiam si extrema adsit necessitas. Pari ratione nemo se ipse confirmat, nemo se absoluit, nemo se sacris Ordinibus iniciat, nemo se iniungit. Eodem igitur modo si Eucharistia solummodò Sacramentum esset, nemo sibi eam ministrare posset, cuius tamen contrarium semper fuit in vsu quod attinet ad eos, qui Eucharistiam consecrant.

DEINDE, Sacramenta omnia in actione consistunt, non in re aliqua permanente, ut patet de Baptismo, & ceteris Sacramētis; non enim aqua consecrata, sed ablutio est Sacramentum Baptismi. Sola Eucharistia non in actione, sed in re permanente consistit, ut supra probatum est, cuius differentie vix alia ratio reddi potest, nisi quia Eucharistia non solum Sacramentum, sed etiam sacrificium esse debuit.

DENIQVE, nullum aliud Sacramentum continet re ipsa corpus Christi, sed solum sunt signa visibilia, continentia virtualiter gratiam sanctificationis: neque aliud requiritur ad rationem Sacramenti, cum Sacramenta nihil sint aliud, nisi instrumenta sanctificationis. Quare etiam Eucharistia potuisset verè, & propriè Sacramentum esse, etiam si Christi corpus re ipsa non contineret. Quæ igitur causa est cur debuerit necessariò Eucharistia Christi corpus re ipsa continere, nisi ut posset verè, & propriè Deo Patri à nobis offerri, & proinde sacrificium esse verè, ac propriè dictum? Et sanè mirum est, cur Lutherani concedant, corpus Christi verè, & realiter præsens esse in Sacramento Eucharistiæ, & simul admittant vilitatim esse omnium, quæ ynquam fuerunt, præstantissimam;

manus

nam; & tamen pertinacissimè negent, posse, aut debere offerri Deo, quasi non sit omninò exploratum & certum, debere Deo offerri id, quod habemus optimum.

CAPVT XXIII.

Probatnr idem ex consensu Ecclesie.

POSTREMA ratio, eaque meo quidem iudicio efficacissima apud illos omnes, qui non nimis sibi placent, quosque superbiæ fumus non omninò excauit, sumitur ex consensu, & testimonio totius Christianæ Ecclesiæ, Græcæ, Latinæ, Barbaræ; quæ per annis mille floruit. Nam aduersarij fatentur Missam sacrificiam vt nunc est, sacrificium esse. Id habent expressè Lutherus in primo seripto contra Regem Angliæ. Caluinus lib. Instit. cap. 18. §. 1. & Kemnitius pag. 774. & alij. Missa autem vt nunc est, tempore S. Gregorij Papæ I. absoluta est, vt Kemnitius fatetur pag. 826. & 827. vbi de Canone Missæ disputat & constat à tempore S. Gregorij nihil ad Canonem Missæ ditū esse. Porro Gregorius ante annos circiter mille floruit ergo testimonio aduersariorum, Missa pro sacrificio haberi coepit in Ecclesia, ab annis vt minimum mille.

Fuisse autem hanc sententiam receptam non in sola Roma, sed in toto orbe terrarum, fatentur etiam aduersarij nam ided Lutherus in libro de captiuit. Babyl. cap. 1. *Missa inquit, creditur passim esse sacrificium, quod offeritur Deo. Cedunt his dicta sanctorum Patrum, tot exempla, tantumque per orbem constanter obseruatus.* Et infra: *Nec moueat, inquit, quod totus orbis contrarium est sensum, & usum habet.* Et in principio libri de abroganda Missa, seu potius in epistolâ didicatoria eius libri: *Magnum est, inquit, certe tot seculorum consuetudini, tanta multitudinis sensui, tantorumque autoritati reluctari.* Et paulò infra apertè dicit se esse solum contra orbem terrarum; sic enim sibi ipse obiicit: *Tu solus sapienter ne errant vniuersi tanta secula ignorauerunt.* Sic etiam lib. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. *Pestilentissimo, inquit, ore Satan totum penè orbem obcauit; Et crederes Missam sacrificium, & oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum.* Et paulò infra: *Congredi me lectores intelligentes cum ea opinione, qua Romanus Antichristus, et eius Prophe-*